



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXV. Ioannis Papae VIII. Ad Romanvm Archiepiscopvm. Ad Synodum Romam sub poena excommunicationis venire iubet, vt ad ea, quae obiiciebantur, respondeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

contra hanc nostram apostolicam iussionem, & post huius nostræ excommunicationis sententiam, aliquid de ipso episcopali ministerio agere præsumpseris, vel in omnibus, quæ ad eundem episcopatum pertinent, temerario te ausu intrmittere tentaueris, atque ad denominatam Synodum occurrere postposueris; scias pro certo, quia non solum omni ecclesiastica te communionem priuabimus, sed etiam synodali decreto a sacerdotali honore te sanciemus alienum existere. Data xv i. Kalendas Augusti, indictione decimaquarta.

EPISTOLA CCLXXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM.

Ad Synodum Romam sub pœna excommunicationis venire iubet, vt ad ea, quæ obiiciebantur, respondeat.

Reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo.

QVIA iam pridem missis tibi per Ioannem venerabilem episcopum Montis Feretrani, apostolatus nostri literis, ad synodale te collegium pro ecclesiasticis dumtaxat utilitatibus nobiscum pariter celebraturum occurrere iussimus, & tuam nobis contempsisti præsentiam exhibere; nunc multis te criminibus irretitum, multorumque hominum accusationibus horrendis impetum, & præcipue manifesto periurio esse pollutum, agnoscentes, hac secundæ vocationis nostræ auctoritate ad venerabilem Synodum, quam, Deo fauente, octauo Kalendas Octobris futuræ quintædecimæ indictionis, erimus celebraturi, omni occasione, vel mora postposita, vna cum omnibus suffraganeis tuis episcopis venire iubemus: quatenus ibi coram fraterno, & venerabili episcoporum cœtu, pro omnibus tibi obiectis rite examinatis, ore proprio valeas respondere, & te innoxium demonstrare; nam si aliqua temeritate tumidus, vel inobedienciæ stimulis motus hanc nostram apostolicam & canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, seu & modo per Ioannem Callensem venerabiles episcopos direximus, paruipendendo ad præfatam Synodum venire contempseris; scias pro certo,

quoniam omni te communionem ecclesiasticam priuabimus, & fugiendo, tuæ damnationis sententiam, tuique honoris patieris iacturam. Data VI. Kalendas Augusti, indictione XIV.

EPISTOLA CCLXXVI.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVMDEM.

Deusdedit Rauennatem iniuste excommunicatum absoluit. confirmat illius cum Maria vxore coniugium. iubet eum defendi.

Reuerendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Rauennati pro causa Deusdedit Rauennatis, & Leoni venerabili episcopo misso, & apocrifario summæ sedis nostræ apostolicæ, nec non quibusuis missis imperatoris & omnibus iudicibus, & populis Romani territorii constitutis, cunctisque fidelibus sanctæ ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

OMNIUM reuerentiam, omniumque industriam scire hortamur, quod Rauennas Romanus archiepiscopus, & ore, cum Rauennæ fuimus, dixerit, & scriptis transmiserit, quod nonnulla incesta coniugia in sua parochia fuissent, & quotidie fierent. Deinde per suum legatum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipsi triginta & duo essent, dicendo significauit, suggerens, ut nostra auctoritate ipsi eos liceret canonicè omnes iudicare. Qui omnibus dimissis, quos etiam nominatim dixerat, & sola inductus inuidia ut remur, & postea in sancta paruit Synodo, Deusdedit fidelem nostrum, (qui, dum Rauennæ fuimus, ipse penes nos quotidie fuit, & coram me, & ipso archiepiscopo causas, ut debuerat iudicauit,) postquam sedem apostolicam appellauit, excommunicare non formidauit. Ipse Deusdedit vero dux pro nostra fidelitate his obediuit, & ad apostolicam præsentiam venire modis omnibus festinauit. Nos suam causam audientes, & qui eum accusare non debuerant, ex parte archiepiscopi non inuenientes, poteramus ipsum absoluerè, sed nolimus, usquequo archiepiscopo misissemus, imo cui misimus, dicentes: ut ipse archiepiscopus pro statutis sanctarum Dei ecclesiarum, VI. Idus Nouembris ad Synodum celebran-

Concil. Tom. 24.

Sl ij